

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 2051

**Auteur(s) :** Jean de Martigny, Évreux, Saint-Taurin (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1218, 11 avril

**Lieu d'émission :** Évreux

**Action juridique :** règlement conflit

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Jean de Martigny, abbé de Saint-Taurin, et Thomas de Louviers, en présence de Luc, évêque d'Évreux, et d'autres personnages ecclésiastiques ou nobles, règlent amiablement, de l'avis de prud'hommes, les droits de présentation à l'église de Louviers, pour lesquels ils étaient en procès. Le patronage de l'église sera divisé en deux parts : la première attribuée à l'abbé de Saint-Taurin, et la seconde à Thomas de Louviers. A l'avenir, il y aura à Louviers, outre l'église matrice, une chapelle sous le vocable de Saint-Jean, et les prêtres qui les desserviront partageront par moitié les fruits.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862-1869, 3 vol., t. 2, p. 348-349.

b. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissey, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CXXXVII, p. 177-178.

Texte établi d'après b

Omnibus Xpisti fidelibus presentes litteras inspecturis, Johannes, humilis abbas Sancti Taurini Ebroicensis, totusque ejusdem loci conventus et Thomas de Loviers, salutem in Domino.

Ad omnium volumus noticiam pervenire, quod querela que vertebatur inter nos, super jure patronatus parochialis ecclesie de Loviers supradicte, de consilio prudentium virorum, voluntate omnium nostrorum et assensu, terminata est in hunc modum :

Patronatus ecclesie de Loviers supradicte divisus est in duas medietates ; abbas et conventus sancti Taurini ad unam medietatem, cum eam vacare contigerit, ydoneum clericum episcopo loci presentabunt, et si ydoneus inventus fuerit, ab episcopo recipietur et instituetur ad eorum presentationem.

Simili modo, dictus Thomas de Loviers, laicus, ad alteram medietatem clericum presentabit episcopo loci, et ad ejus presentationem ab eodem episcopo recipietur et instituetur, et, ad ejusdem instituti cessionem, idem Thomas vel heredes sui de cetero ad illam medietatem, modo supradicto, alium presentabunt.

In villa vero de Loviers, erit una mater ecclesia et una capella, videlicet capella Sancti Johannis, et in illis duabus ecclesiis, erunt duo presbiteri ministrantes vices suas et servicia sua in iisdem ecclesiis per singulas ebdomadas permutantes.

Omnes autem proventus, tam matris ecclesie quam capelle ejusdem loci, in unum colligentur, et pro voluntate presbiterorum ibidem ministrantium, statutis diebus, utrique distribuentur, utroque presbitero juramento firmante quod portionem socii sui in nullo defraudabit.

Similiter eidem presbiteri jurabunt quod indemnes conservabunt portiones abbatis et conventus.

Et sciendum est quod abbas et conventus Sancti Taurini, tam in matre ecclesia quam capella sepe dicti loci, percipient sigillatim quicquid et quantumcumque ante hanc compositionem in parrochiali ecclesia de Loviers percipere solebant ; et presbiteri dictarum ecclesiarum ex equo percipient et dividunt quicquid ratione dictarum ecclesiarum eis poterit accidere, tam in majoribus decimis quam in minoribus et omnibus aliis obventionibus undecumque provenientibus ; percipient etiam de cetero dicti presbiteri omnes decimas de feodo Thome de Loviers. De servitio autem equi quod debet dictus Thomas nominatis abbati et conventui pro feodo suo de Loviers, ita statutum est, quod idem Thomas et heredes sui in perpetuum quieti inde remanebunt per solutionem decem solidorum usualis monete in festo sancti Remigii singulis annis reddendorum.

Preterea sciendum est quod si dictus Thomas vel heredes sui de dicto feodo aliquid vendere voluerint, super hoc dictus abbas et conventus prius requirentur, et sibi retinebunt, si eis placuerit, sub precio quo alii vellent retinere. Et si sibi retinere noluerint, Thomas vel heredes sui vendere poterunt aliis quibus voluerint, dummodo licite et de jure id possit fieri sine prejudicio abbatis et conventus.

Et ut hoc perpetue firmitatis robur obtineat futuris temporibus, prefatam compositionem presentis scripti testimonio et sigillorum nostrorum munimine roboravimus.

Actum apud Ebroicas, anno gratie M° CC° octavo decimo, tercio idus aprilis.

Testibus hiis : domino Luca, Ebroicensi episcopo ; Gaufrido, abbate de Cruce ; Radulfo decano et magistro R. de Aviron, canonico Ebroicensi ; Johanne filio Willelmi, Gaufrido de Herupa et Gilleberto de Gimellis, militibus ; magistro Johanne de Karevilla ; R. Pelet, Waltero de Yspania, et Hugone de Aprilleyo et multis aliis.

MCCXXI. Obiit Robertus Polanus, Rothomagensis archiepiscopus, cui successit Theobaldus de Ambianis, thesaurarius ecclesie Rothomagensis.

MCCXXI. Hoc anno, iv. nonas maii, obiit Robertus, archiepiscopus Rothomagensis, vir simplex, mansuetus et pius, apud Mortuum Mare sepultus nonis maii.

Apud Rothomagum, post magistrum Robertum Pulanum archiepiscopum, fit archiepiscopus Theobaldus, thesaurarius, filius dominæ Hamelinæ Ambianensis.